LUTGERT

Adnotationes ad Tabulam Medicinae Historicam.



ADNOTATIONES

AD

TABVLAM MEDICINAE HISTORICAM

IN ORDINEM CHRONOLOGICVM ET PHILOSOPHICVM REDACTAM

A

CAROLO AVGVSTO LVTGERT,
MED., CHIR. ET ART. OBSTET. DOCT.

LUGDUNI BATAVORUM
EDIDIT E. I. BRILL
1852.





PRAEFATIO.

Quemadmodum omnium artium et doctrinarum, ita et Medicinae cultoribus Historia maximi est momenti, recteque monet Cicero: »Nescire, quid antea quam natus sis, acciderit, id est semper esse puerum." Non igitur sine causa recentiori in primis hoc tempore complures viri docti huic quoque scientiae nostrae parti elaborandae studioque apud alios excitando operam navârunt. Eminent inter nostrates cl. Pruys van der Hoeven, libro suo *de Historia Medicinae*, ante aliquot annos in lucem edito, notissimus, inter Germanos Eble, qui Kurt Sprengelii vestigiis insistens, historiam ad annum 1825 usque protractam, omnibusque numeris absolutam condidit. Post tales viros necesse non est, ut multis demonstrem, quantam et in medica doctrina Historiae studium utilitatem afferre possit. Huius autem studii promovendi cupiditate inductus hanc *tabulam Medicinae chronologicam et philosophicam*, optimae notae et fidei auctores secutus, composui eamque, ne modo nimis audacter, Lectori Benevolo offero, illud inprimis assequi conatus, ut uno quasi oculi conspectu omnia scientiae nostrae fata, ab initio mundi ad nostra usque tempora memorata, paterent.

In tabula hac ordinanda hanc viam secutus sum, ut iuxta ordinem chronologicum varias apponerem sectas philosophicas, quibuscum medicinae studium arctissime semper coniunctum fuit, dein e diversis cuiuscunque scholae sectatoribus praecipuos et optimae notae memorarem medicos, quos iterum, pro maiori aut minori, qua apud posteros iure suo gaudent, celebritate, litera etiam magis minusve distincta indicari curavi. In diiudicanda hac nominis amplitudine varios historiae conditores consului, neque ulla in re mea ipsius auctoritate agere constitui. Ceterum, quantum hoc fieri poterat et arctum sinebat tabulae spatium, singulis virorum doctorum nominibus, quid praecipue praestiterint, addidi, lectori, qui de historia litteraria medica plura scire cupiat, *Augustini* tabulas, quae a°. 1825 secunda vice Berolini prodierunt, magnopere commendans.

Cum forsan difficile foret variorum in tabula colorum naturam et formam intelligere, adnotationes aliquot hîc addidi, historiae medicae philosophicae compendium continentes, atque agendi rationem in fine explicantes. Postquam in Europa medicinae exercitatio magis vulgaris facta fuit, sex columnas, nomina et fata indicantes atque recta proceden-

tes, sufficere opinatus sum, easque ita ordinavi, ut Hollandis Belgas, Italis Graecos et Turcas aliquot, Hispanis Lusitanos, Gallis Helvetios, Germanis Suevos, Russos, Danos aliosque populos contiguos, Anglis denique eos, qui ex America Septentrionali innotuerunt, addiderim.

Tabulam hanc ultra annum 1825 prosequi nolui, neque hoc tempore adhuc viventes commemorare ferebat animus, veritus, ne aliquem e magna cohorte virorum doctiorum, tam hîc quam alibi degentium, atque aut empiricae, aut hydropathicae, aut homoeopathicae doctrinae sectatorum, obliviscerer, eoque modo merito culpandus essem. Obiicient nonnulli, me et in ipsa tabula a variis abstinuisse, qui iure merito adiungendi fuissent et hisce, quod respondeam, habeo: universe enim ex unaquaque schola celebriores aliquot referre medicos, atque num maiorem minoremve sectatorum numerum obtinuerit haec schola, indicare, operis mei fuit propositum, quod ut attingerem omni ope contendi.

Habes ita, Benevole Lector, qualem agendi modum in tabula condenda secutus sim. Neque me nescium credas, quam inchoatum sit opus meum. Sic, praeter aliquet nomina, quae non occurrunt et addenda fuissent, praeter alia quaedam, quae bis occurrunt, eiusque generis plura vitia, me a°. 1735 Ioannis Brownii eiusque *methodi stimulantis*, quae, aeque ac Halleri irritabilitatis doctrina, *scholae dynamicae* pars est, mentionem non fecisse valde doleo. Quae alia insuper inveniuntur, haud incuriae aut imprudentiae, verum potius ipsius operis amplitudini tribuere velis, qua facile ad perturbationem aliquam induci possem.

Spero igitur fore ut benigne accipiatur tabula mea, et in studiis historicis aliquam afferat utilitatem. Sic oleum et operam non prorsus perdidero et editorem, qui in tabula excudenda magnos fecit sumtûs, incepti non poenitebit.

Praefationi finem impositurus facere non possum quin compluribus viris doctis pro auxilio mihi praestito publice debitas agam gratias, prae ceteris vero viris doctissimis, amicissimis C. Leemans et I. C. Drabbe, quibus gratissimum me praebere iubet animus, quosque, ut eadem, qua semper, humanitate et benevolentia me prosequi velint, etiam atque etiam rogo.

Dabam in pago Warmond, Nonis Febr., 1852.

ADNOTATIONES AD TABVLAM MEDICINAE HISTORICAM.

Antiquissimis temporibus morborum sanatio Deorum Dearumque interventui tribuebatur. Praeibant hac in re Aegyptii, qui aegrotos in templis incubando oracula consulere iubebant (1), somnia ipsorum Numinis voluntatem explicantia observabant et felices eventus in libro quodam, *Embre* dicto, adnotabant, cuius praecepta in simili casu sequi deberent medici. Sic et in India, ubi Brahmani medicinam exercebant, morborum praesidia in libro quodam collecta inveniebantur, neque ab ipsis ullo modo recedere licebat.

Graecia (2), beatissima illa regio, quae commercio suo et frequentibus bellis cum plerisque terrae populis notitiam contrahebat, ab his multorum etiam Deorum cultum mutuabatur, iisque pro temporis aut rerum ratione aliam, cum populi indole poëtica magis convenientem notam imprimebat. Abundanti doctrina et perfecta eruditione homines ibi praeter alias multas et nostram artem primi excoluerunt eamque sacerdotum manibus detractam in scientiae formam redegerunt. Mirum enim non est philosophos, qui subtiliter adeo in originem rerum, in naturam deorum, in magnitudinem et motum corporum coelestium, sed inprimis in animi indolem inquisiverant, his omnibus corporis quoque eiusque functionum investigationem adiecisse. Hinc apud primos auctores iam de respirationis, digestionis, generationis ratione disseritur, inprimis autem, quo modo causae morbos producere valeant, consideratur (3).

---

(1) Huiusmodi somnia quaedam collegit et interpretatus est vir doctissimus C. Leemans, in *Papyris Graecis Musei antiquarii publici Lugd. Batavi.* Tom. I. pag. 117 sqq. Explicabantur haec somnia ab ἐνυπνιοκριτῇ, cuius et ibi et alibi mentionem factam deprehendimus.

(2) Egregie *Kurt Sprengel:* Weder in Aegypten, noch in Indien, weder in Palästina noch in Rom, sondern allein in Griechenland sind die ersten Keime der wissenschaftlichen Cultur aller menschlichen Kenntnisse zu suchen. Weder in Indien noch in China, weder in Persien noch in Aegypten, sondern allein in Griechenland muss man die schönsten Blüthen der menschlichen Kenntnisse und Künste suchen, die sich in jenem glücklichen Lande sehr schnell entfalteten und die lieblichsten Früchte trugen. Wer nach genauer Forschung unpartheiisch urtheilen will, muss bekennen, das die Griechen, als feurige Jünglinge, in allen Kenntnissen, die den verstand und die Einbildungskraft vorzüglich bilden, so weit gekommen sind, als wir, wenn wir ohne Kenntniss der Natur über die Ursache ihrer Erscheinungen dichten. Ja, man kann sagen, die Griechen seyn weiter als wir gekommen, weil sie freiern Sinnes waren, und weil ihren Untersuchungen keine forgefasste, heilige Meinung, kein Verbot des Staats ein Ziel setzte. Tom. I. pag. 274.

(3) Celsus L. I. § 11: »Primoque medendi scientia sapientiae pars habebatur, ut morborum curatio et rerum naturae contem»platio sub iisdem auctoribus nata sit."

Primus idemque princeps philosophus, qui haec omnia perscrutatus fuit, erat Pythagoras. Eius discipuli erant aut exoterici aut esoterici. Illi ad pietatem et ad cultum Deorum incitabantur, et levi tantum naturae symptomatum cognitione instruebantur: hi contra, audita et communicata stricte celantes, omnibus philosophiae mysteriis initiabantur. Inprimis corporis sani functiones ab ipsis indagabantur (1). Adsidua harum contemplatio persuadebat ipsis, nihil ad sustentandam sanitatem et ad excitandas ipsius facultates et vires physicas magis conferre, quam temperantiam et abstinentiam, quibus virtutibus eum in modum ipsi studebant, ut interdum esurientes mensas lautissimis cibis refertas exstruerent, quos intactos iterum amovebant. Animi etiam commotiones coërcere inprimis docebant. Hucusque tamen omnia haec penes sacerdotes aut discipulos esotericos manserant. Postquam vero Crotonii contra Pythagoreos seditionem moverant, hi magis dissipati fuerunt atque eorum unus et alter medicinam in ipso populo exercere incepit. Inter hos primus fuit *Democedes Crotonius*. Vocabantur tales medici *Periodeutae*, quia eo maxime se conferebant, ubi morbi epidemice grassabantur.

Animadversu dignum est, hanc scholam Pythagoream multos eosque celeberrimos praebuisse medicos. Teste Herodoto (2), excellebant inter hos Crotonii et Cyrenaei. Ab ipsis originem etiam petierunt *Gymnasiarchae*, qui artem gymnasticam unicam viam ad conservandam sanitatem et promovendam εὐεξίαν perhibebant. Inprimis hi ad educandos iuvenes adhibebantur, et in 3 classes divisi erant. Eorum rector, *Gymnasiarcha* aut *Palaestrophylax* dictus, diaetae iuvenum gymnasiis commissorum consulebat et prospiciebat, *Gymnastae* morbos eorum curabant, quum *Aliptae* sive *Iatraliptae* venae sectiones instituerent, clysmata applicarent et vulnera, ulcera, fracturas, cet. sanarent.

Hoc modo sacerdotibus sensim facultas morbis medendi detrahebatur, et medicina abhinc inter doctrinas numerabatur, cuius praeceptis unusquisque frui posset. Inprimis Asclepiadici medici, e Cnido oriundi, artis effata tabulis insculpta in templis asservabant, ut ipsa, data occasione, consulere et applicare possent. Artem hoc modo ingentes fecisse progressus probant nobis permultae mutationes et emendationes, a variis medicis Asclepiadicis institutae et vel maxime probat gloria, quam sibi indefessis studiis et empirica sua agendi ratione paravit familia Hippocratica. Praesertim etiam philosophiae iugum excutiebatur, quo magnus Hippocrates II plurimum contulit, qui longe satius putabat, experientiam ducem agnoscere, et, hac magistra, morbos sanare, quam argutiis et ratiociniis nitentem methodum sequi (3). Praesertim et ille nobis probavit, boni medici officium esse, naturam sequi et observare, eiusque molimenta sustentare atque ita revera primus fuit, qui medicinam, tamquam scientiam experimentalem, ad culmen evehere conatus fuit.

---

(1) Prae ceteris generationis mechanismus a primis his medicis indagabatur, et vario modo a variis explicabatur. Testantur hoc scripta de hoc argumento ab Empedocle, Anaxagora et Democrito Abderita relicta.

(2) Libro III. c. 131: *'Εγένετο γὰρ ὦν τοῦτο, ὅτι πρῶτοι μὲν οἱ Κροτωνιῆται ἰητροὶ ἐλέγοντο ἀνὰ τὴν 'Ελλάδα εἶναι· δεύτεροι δὲ Κυρηναῖοι.*

(3) Celsus I. § 13: » Huius (Democriti) autem, ut quidam crediderunt, discipulus Hippocrates Cous, primus quidem ex omnibus » memoria dignis, a studio sapientiae disciplinam hanc separavit, vir et arte et facundia insignis."

Quamvis multi perhibeant, Hippocratis sectatores nulla in re ab eo recessisse, tamen tute statuere possumus, filios ipsius, praecipue Thessalum *scholae dogmaticae*, immerito non nunquam *Hippocraticae* dictae, auctores exstitisse. Haec schola, cuius statutorum hic et illic in operibus Hippocraticis fragmenta tantum inveniuntur, in antiquiorem et recentiorem distinguenda est. Primi eius asseclae inprimis Platonis opiniones amplectebantur, qui scepticismum docebat, quum seriores magis systemati stoico adhaererent. Dogmatici ergo apte, medico consilio, in scepticos et stoicos dividuntur.

Inter praecipuos huius scholae sectatores recensendus est *Plato*, *Divinus* cognomine, vir eruditione philosophica excellens. Permultos formavit hic discipulos, qui tamen non omnes eius vestigia tenuerunt, neque doctrinam dogmaticam intactam conservarunt. Sic Eudoxus Cnidius post eum systema Pythagoricum in integrum restituere conatus fuit, qua in re Chrysippus Cnidius eum secutus est. Dioclae tempore tamen schola Pythagorica cum Platonica coniuncta fuit, illiusque non nisi vestigia quaedam apud auctores occurrunt. Sic Dioclem Carystium numerum *septem* inprimis in morbis curandis observâsse, Macrobius auctor est.

Stoa magnam inprimis habuit vim et efficaciam in elaborandas et perficiendas scientias physiologicas et pathologicas. Naturam enim indagare et hominis naturam cum universa comparare, Stoicorum praecipuum erat negotium. Quemadmodum in schola pristina Eleatica, ita et in hac *philosophia corpuscularis*, *materialismus* (1) dictus, dominabatur. »Omne, quod exstat, formam habet corpoream et unaquaeque causa agens »*corporis* naturam et indolem accipit. *Pneuma*, corpora penetrans, principium agens »est, quod eorum motûs regit; hoc pneuma, ab aliis *animus* vocatus, in corde adest et »varia effervescentia pathemata excitat." Tales adhibebant Stoici doctrinas ad explicandas varias corporis functiones: non quidem multum luminis sparserunt, sed maxime contribuerunt ad suscitandum indagationis amorem.

Haud ullus fere Princeps Alexandro Magno in tuendis et promovendis artibus doctrinisque aequalis fuit. Omnibus modis Aristoteli, praeceptori dilectissimo, occasionem praebebat, studia sua absolvendi et artem perficiendi, imo testantibus multis historicis, in omnibus terrae partibus magnis sumtibus incognita colligebat animalia, quae anatomicis ipsius indagationibus inservirent. *Aristoteles*, et ipse philosophus excellens ac scholae peripateticae auctor, tamen dogmaticorum opinionibus, inprimis philosophiae corpusculari calculum adiicere non potuit. Cum Platone quidem *materiam* quandam exstare opinabatur, quae nucleum contineret eius, quod aliquando nasci deberet, sed principium quoddam movens sive agens adiiciebat, *formam*, ἐνεργείαν dictum, quo carere non possumus, ut rebus omnibus *ens* (οὐσία) praebeatur. Hinc variae illae vires (δυνάμεις) in corpore animali, quas Aristoteles ad explicandas varias ipsius functiones, accipiebat. Hinc cura eius ut principia illa cognosceret, quae mutationum

(1) Cf. Brückeri Hist. critica philosophiae, Tom. I. p, 924, ubi legitur: quidquid enim est, Stoicis corpus est: nihilque incorporale praeter infinitum, quod extra mundum est vacuum, animus corporeus, vox corporea et ita Deus quoque.

in corpore causae sunt, hinc indefessa studia ad indagandam structuram et conformationem partium singularum, quae omnia ipsum ad pulchram illam induxerunt conclusionem: Ὁ δε θεὸς καὶ ἡ φύσις οὐδὲν μάτην ποιοῦσιν. — Post eum Theophrastus inprimis systema peripateticum promovere omni opera studuit.

Mortuo Alexandro Magno, regnoque ipsius diviso, Aegyptum nactus est Ptolemaeus Soter, quo factum, ut omnis doctrina Alexandriae sedem fixerit. Qui Soterem in regno sequebantur Ptolemaei inprimis huic civitati favebant, bibliothecam ingentem condendo, doctrinarumque studio omnibus modis magnisque sumtibus promovendo. Alexandria hinc insigniter floruit, magnaque virorum doctorum serie per 150 annos continuos gavisa est. Prae ceteris et Medicina ibi culta fuit. Aristotelis opiniones maximopere apud Alexandrinos valebant, hinc et scientiae auxiliares, ab ipsis inseparabiles, magnopere exercebantur. Anatomiae cognitio de die in diem increscebat et lumen suum in explicandas functiones et compositiones corporis partium late spargebat.

Duo inprimis occurrunt in schola Alexandrina medici insignes, reliquorum duces, Herophilus et Erasistratus, ambo anatomi excellentes et multis suis indagationibus quoad hanc scientiam notissimi. Ille, et prae ceteris eius sectatores serioris temporis, sophistae erant qui scholae dogmaticae opiniones amplectebantur; scripta Hippocratica ipsis inserviebant ad proposita medica investiganda, saepius vero ab iisdem etiam culpabantur. Inprimis Prognostica ab ipsis refutabantur. In genere tamen permultum contulerunt Herophilei ad cognitionem et observationem rhythmi pulsûs in variis morbis et ad perficiendam hanc gravem diagnostices partem. — Erasistratus vero, qui Herophilo fere aequalis erat, peripateticae scholae adhaerebat, et cum Aristotele *pneuma* quoddam accipiebat, quod in explicandis corporum functionibus adhiberet. Secundum ipsum aër inspiratus in vasa maiora suscipiebatur et arteriarum ope per omne corpus deducebatur: hinc pulsus. Erasistrati opiniones, tam physiologicae quam pathologicae a Galeno, Herophili a Cael. Aureliano egregie descriptae sunt.

Schola Alexandrina, quae per 300 fere annos exstitit, plurimum contulit ad perficiendam eruditionem medicam. Inprimis et Chirurgia multum ei debet, quae praesertim ab Erasistrato eiusque sectatoribus colebatur: prae ceteris lithotomia saepius instituebatur, eiusque cognitio promovebatur: Qui tamen Aegyptiis innatus erat, amor theologiae mysticae, omnium scientiarum perfectionem diu retinuit, et causa etiam erat quod Ars medica non empirica ratione, verum potius sophismis nitebatur, et in hac praesertim mirifica et prodigiosa avide arripiebantur. Postquam viri docti annis circiter 140 A. C. N. Alexandria pulsi erant, plerique eorum in Asiam Minorem sese contulerunt, ut ibi studia sua in quiete absolverent.

Una in re praesertim excelluit schola Alexandrina, quod originem praebuit *scholae Empiricae*. Huius auctor erat Philinus Cous, Herophili discipulus. Hic viam, ab Hippocrate indicatam, a medicis autem nimis cito iterum relictam, viam quippe experientiae, unice tutam et bonam laudabat et commendabat. Exemplo philosophorum Zeteticorum, qui omnia dogmata et theorias indagabant et inter se comparabant, quo facilius ea postea

recusarent, hic etiam in varias in arte medica vigentes theorias inquisivit easque debellavit, prae ceteris scholae dogmaticae inconcinnitatem ostendens. Alieni ab omni doctrina contemplativa empirici nil nisi artem observandi colebant, eamque statutis legibus subiiciebant (1). Nullum administrabatur remedium, quin virtus ipsius, instituto antea examine, salutifera cognita et probata esset (2). Pristinae medicae historiae exercitatio adsidua, phaenomenorum observatorum fida contemplatio, morborum et remediorum cognatorum recta comparatio, atque analogiae applicatio apta auxilia erant quae ab ipsis, ut voti compotes fierent, adhibebantur. Dolendum tamen scientias auxiliarias, anatomiam praesertim et physiologiam ab ipsis neglectas atque ut inutiles abiectas fuisse: ceteroquin enim eorum exemplum unicum bonum erat, ad veram ostendendam viam, qua eruditio medica augeretur et perficeretur.

Multi medici Graeci empiricorum methodum acceperunt et adhibuerunt, adeo quidem ut haec schola per 14 saecula insequentia exstitisse dici possit, donec anno circiter 1400 P. C. N. *schola Hippocratica* eam exceperit.

Longe alia eo tempore erat medicorum Romanorum et in genere Italorum agendi ratio. Insistebant hi fere omnes vestigiis *Asclepiadae Bithyni*, qui novam doctrinam, partim veteri philosophia corpusculari nitentem, creaverat. Ubi priores peripatetici pneuma sive spiritum supposuerant, hic, Epicuri exemplo ductus, *atomos* (ὄγκους λεπτομερεῖς) ponebat, quae principium omnium corporis partium efficiant, e quarum fortuita coniunctione corpus animale exsistat et quarum motus harmonicus et regularis sive irregularis aut sanitatem aut statum morbosum gignat. Novitate et verosimilitudine huius theoriae allecti, neque minus Asclepiadae arrogantia excaecati, plerique Romani nobiliores calculum ipsi adiecerunt, eoque modo medicus Bithynus magnam sibi Romae factionem comparavit et simul auctor exstitit *scholae Methodicae*, quae ab eius successoribus, inprimis a Themisone, ulterius elaborata fuit. Methodici id inprimis spectabant, ut mediam viam doctrinam dogmaticam inter et empiricam invenirent. Ideo tramitem, dogmaticis contrarium, inibant, atque inquisitio in causas morborum ipsis incerta videbatur, qui *communia* (3) corporis humani (κοινότητες) fundamentum omnis agendi rationis efficere opinabantur. »Omnes morbi, quibus aut *strictura* aut *laxitas* communis erat, eandem postulabant curandi methodum (4)."

---

(1) Recte Celsus: »Contra ii, qui se ἐμπειρικοὺς ab experientia nominant, evidentes quidem causas et necessarias amplec-»tuntur: obscurarum vero causarum et naturalium actionum quaestionem ideo supervacuam esse contendunt, quoniam non com-»prehensibilis natura sit."

(2) Recte Galenus, de optima secta: *Ἱστορίαν δὲ ὠνόμασαν τὴν ἐπαγγελίαν (τῆς ἐμπειρίας)· Τῷ δὲ μαθόντι τὸ τετηρημένον, ἱστορία ἐστὶν, τῷ τηρήσαντι αὐτοψία.*

(3) Explicat hoc Celsus in Praefat.: »Sub auctore Themisone contendunt, nullius causae notitiam quidquam ad curationes perti-»nere, satisque esse, quaedam communia morborum intueri. Siquidem horum tria genera esse, unum *adstrictum*, alterum *fluens*, »tertium *mistum*" etc.

(4) Recte Galenus: *Γνῶσιν εἶναί φασι τὴν μέθοδον τῶν φαινομένων κοινοτήτων, συμφώνων τε καὶ ἀκολούθων τῷ τῆς ἰατρικῆς τέλει.*

Multum, ut per se patet, haec doctrina contulit ad perficiendam scientiam indicationum, quae eo magis procedebat, quo magis aetiologia ut inutilis abiiciebatur. Si hanc theoriam ulterius elaborassent methodici, neque in strictura aut laxitate sola haesissent verum et alia eaque plura observâssent *communia*, schola haec maiorem, quam nunc, praebuisset utilitatem. Primi huius sectae asseclae scientias auxiliarias prorsus negligebant. Seriori tamen tempore eaedem scientiae diligentius excolebantur a nonnullis medicis methodicis. Probant hoc C. Plinius Secundus, qui Historiam Naturalem et Marinus, qui nervorum decursum et rationem accuratissime descripserunt. Componebatur schola methodica a variis medicis, ex omni terrarum parte, inprimis e Graecia, Asia Minori et Alexandria in Italiam adductis, atque per 250 fere annos continuos exstitit.

Eodem fere tempore, quo schola Methodica, paulo post Christum natum, altera Romae oriebatur secta, *Pneumatica* dicta, quae Athenaeum Attalum auctorem agnoscebat. Stoicorum priorum opinionum amore captus, *pneuma* sive *spiritum*, loco atomorum, ut methodici perhibebant, principium agens accusabat. Est adeo schola pneumatica tam e peripatetica quam ex Erasistratea deducenda. Facile patet, quantum pulsûs doctrina in ipsa elaborata sit; arterias enim pneumate repletas, huiusque pneumatis rationem pulsu necessario indicari opinabantur huius scholae sectatores. Haud diu tamen haec schola viguit neque multos numeravit asseclas, multumque inprimis ab *Eclecticis* sive *Episyntheticis* invertebatur, qui Agathino et Aretaeo ducibus pulsus momentum, pneumatis praesentiam quidem agnoscebant, verum et methodicorum ac praesertim empiricorum opinionibus calculum adiiciebant. Ex omnibus hi, quod bonum et laudabile erat, retinere conabantur atque hinc ad scientiae veram notionem promovendam plurimum contulerunt. Hinc in tabula schola eclectica e pneumatica et methodica orta indicatur.

Accessimus iam ad *Claudium Galenum*, virum insignem, et de re medica prae ceteris omnibus optime meritum (1). Omnia ipsius enumerare merita difficillimum esset, neque proposito nostro inserviret (2). Subtilissimo instituto examine, persuasum hic sibi habebat, nullum esse systema, quod non vitiosa multa contineat et hinc adducebatur ad conclusionem, veram Hippocratis doctrinam, naturae comtemplatione nitentem, unicam eamque optimam esse viam et in facienda et in excolenda Medicina. Quamvis et ipse hic illic culpandus sit Galenus, tempus tamen, quo vixit, inprimis respiciendum est: magnum enim certamen inter varios variorum systematum asseclas gerebatur, quis eorum priores partes obtineret, eaque erat hoc tempore agendi ratio, ut quisque alios ridendo se ipsum extollere conaretur.

Mortuo Galeno Medicina, quemadmodum in genere omnes artes et scientiae, negligebatur. Frequentia sub imperatoribus Romanis tum externa tum interna bella, invasiones populorum barbarorum, insecutus tandem lapsus imperii Occidentalis et Orientalis, doctrinam omnem supprimebant, et omnino prohibebant, quominus doctrinarum

(1) Natus est A°. 131. P. C. N.

2) Cf. eius vita, inter plures, a Kurt Sprengelio elegantissime descripta Gesch. der Arzneik. II Th.

notio ulterius promoveretur. Prae ceteris autem stupiditas, superstitio aliaque huius modi impedimenta in Europa omnem exstinguebant lucem, artibus doctrinisque promovendis adeo necessariam. Hinc et Medicinae nox ignorantiae exsurgebat, eiusque temporis medici permultis caecabantur erroribus. Huius symptomatis causae altius repetendae sunt:

Iam durante captivitate Babylonica Iudaei magna pro parte theosophia Persarum inquinati fuerant: cuius rei in Testamento Veteri permulta occurrunt documenta, quae probant, complures ex ipsis credidisse societatem quandam existere daemonas inter et homines, illosque in horum vita ac sorte dirigenda permultum posse. Postquam Iudaeorum pars quaedam, Ieremiae tempore, Alexandriam petiisset, ubi a Ptolemaeis benevole excipiebantur, sensim etiam mirifici desiderio et fanatismo inficiebantur, atque inprimis ad Platonis dogmata elaboranda et accipienda adducebantur. Seriori tempore inter hos Iudaeos Alexandrinos secta quaedam oriebatur, *Essenorum* sive *Essaeorum* dicta, qui illud inprimis attingere nitebantur, ut temperantia (cuius fundamento ceteras omnes superstruebant virtutes), morborum sanatione et aegrotantium curatione, atque vitae ratione intaminata Dei nomen extollerent. Eorum mores et leges cum priscorum Pythagoreorum institutis maxime conveniebant, neque minus ob virtutes, religionem et modum, quo se pro re bona devovebant, amati et honorati erant. Ipsorum tamen dogmata mox iterum degenerabant (1), postquam magis magisque proclives fiebant ad explicanda singula verba et loca obscuriora Scripturae Sacrae. Oriebatur hinc sensim *secta cabbalistica* seu *magica*, quae prae ceteris amore rerum ambiguarum et perreconditarum notabatur, atque omnia naturae phaenomena coniunctione potentiarum divinarum et diabolicarum cum terrestribus explicabat: haud certe mirabitur quis, verum scientiarum amorem hoc modo prorsus exstinctum esse.

Systema pristinum peripateticum cum recentiori cabbalistico coniungens, ipsisque varia mysteria novae doctrinae Christianae admiscens, Ammonius Saccas 200 annis P. C. N. doctrinam *Neo-platonicam* communicavit, quae per saeculum integrum exstitit, paucos vero asseclas numeravit.

Galeni scripta medica per 1000 fere annos continuos a variis medicis, inprimis Graecis, adhibebantur, quae in morbis curandis et in systemate nosologico sibi formando viam monstrarent. Graeci magna pro parte empirici manebant: ex ipsis Zeus Cyprius priorem dogmatismum cum empiria coniungere conatus fuit et ita res a se invicem prorsus diversas copulare. Paucos tamen obtinuit sectatores. Haec etiam Graecorum dicta empiria hic illic dogmatibus Neo-platonicis repleta est, quod nobis scripta Marcelli Sidii, Vindiciani et aliorum plurium abunde testantur.

Saeculo quinto in Oriente, inprimis Edessae, Mesopotamiae urbe, secta quaedam se formavit, *Nestoriana* dicta, Christianam religionem professa atque hinc Romanis imperatoribus odiosa. Hi eam idcirco ubique persequebantur, atque ita coëgerunt in Asia Minori asylum sibi quaerere. Nestoriani inprimis medicinam faciebant, atque postea, cum in Arabiam

---

(1) Nonne hic quodammodo expletur comminatio, quam Deus cum Ieremia communicavit in capite 42 et 43 Lamentationum?

sese contulissent, ibi et hanc artem docuerunt. Narrat tamen Procopius multos inter ipsos fuisse hariolos et nebulones. Ceterum ob virtutes et doctrinam multum in honore erant.

Mortuo Galeno Medicina ob causas supra memoratas prorsus in Europa negligebatur, si paucos medicos Graecos excipiamus. Qui ex ipsis memorantur, omnes fere aut in Galeni verba iurarunt, aut empiriam culpandam exercuerunt, Per decem tamen saecula continua unici medici fuerunt qui sibi famam aliquam comparare potuerunt. Ceterum ubique superstitio omnem veram oppressit doctrinam eiusque progressibus obstitit. Plurimum huc contulit luxus effusus eumque comitata ignavia Romanorum sub Imperatoribus, qui praeterea omnibus artibus magicis et variorum nebulonum anfractibus fraudulentis erant dediti. Haec omnia eo duxerant ut tandem medicis omnis fides detraheretur, ita quidem, ut Andronicus III, imperator Constantinopoli, aegrotans medicos Arabes e Persia arcesseret.

In Arabia hoc tempore medicina etiam magno in honore erat. Vicinia Alexandriae, quam, devicta Aegypto, expugnaverant Arabes, praesentia Nestorianorum, qui undique pulsi in Oriente (1) sibi scholas fundaverant, haec omnia conferebant ad excitandum apud ipsos doctrinarum amorem. In genere de Arabibus animadvertendum est, medicinam non magnos apud eos fecisse progressus, quae potissimum secundum Galeni, Platonis et Aristotelis (2) praecepta institueretur. Magis hypothesibus theoreticis et argutiis dialecticis quam observationum et experientiae studio delectabantur Arabes: ipsorum praeterea religio anatomicas exercitationes prohibebat. Hinc chirurgia prae ceteris ab ipsis neglecta fuit (3).

Seriori tempore, postquam Sarracenae Hispaniam invaserant, Medicinae aliarumque artium et doctrinarum studium eo etiam translatum et Cordubae prima Academia, alumnis docendis adaptata, fundata fuit. Excelluerunt in Hispania adhuc multi medici Arabes, que eo modo huius doctrinae in Europa primi auctores nuncupari possunt.

In Italia et in genere in omni Europa occidentali artes et doctrinae penes monachos manebant, qui studiorum amantissimi et a bellis et seditionibus abstinentes atque aetatem otiosam traducentes facilius ad earum exercitationem adducebantur. In Medicina facienda excelluerunt prae ceteris monachi Benedictini, quorum varia monasteria huic scopo inserviebant. Eorum institutum Salernicum inde a saeculo octavo inclaruit, quamvis ibi auctores varii Arabes duces in curandis morbis agnoscerentur. Sec. XIII° haec Salernica schola ab imperatore Frederico II permulta accepit privilegia, ibique primos Medicinae *Magistros* et *Doctores* creatos fuisse historici narrant.

Tertia regio, quae inprimis ad excolendam Medicinam in Europa contulit, erat Anglia. Iam dudum Christiana religio ibi accepta erat, festinabantque Angli ad alias regiones

---

(1) Praecipua Nestorianorum schola Edessae, Mesopotomiae urbe, exstitit.

(2) Hinc Arabum propensio ad amplectenda scholae peripateticae et inprimis serioris pneumaticae dogmata.

(3) Operationes nonnullas in mulieribus instituere non nisi foeminis licebat. Sic prolapsus uteri, lithiasis aliique vesicae morbi ab ipsis curari debebant. Cadavera secare ex lege Mohammedis omnino vetitum erat.

huius religionis praedicatores dimittere, qui simul artium doctrinarumque amorem ubique incitarent. Hinc morum expolitio, hinc nova omnibus studiis impertita lux, hinc et Medicinae in Europa propagatio.

Quales fuerint mutationes, quas ab hoc inde tempore subierit ars nostra medica, et quae praecipue sectae in ipsa viguerint, satis aperte tabula nostra, historicorum auctoritate nixa, indicat.

Hisce praemissis, facilius mihi erit viam indicare, quam in ordinanda et coloranda tabula secutus sim. Ex Aegypto, Palaestina et India inprimis artis nostrae prima praecepta hauserunt Graeci, quae, in philosophicam et theurgicam formam redacta, in morbis curandis sequerentur. Primi ibi medici Pythagorae effatis obediebant. Praecipui eorum ex Ionia, Graecia Magna, Lydia et Caria, monente Herodoto, oriundi erant. Insecutus dein Hippocrates Asclepiadicorum et Pythagoreorum dogmata et effata collegit, recensuit, suosque discipulos atque aequales naturae ipsius tramitem sequi docuit. Eius filii Thessalus, Draco et Polybus *scholae dogmaticae* auctores exstiterunt, quam Plato dein firmavit et amplificavit. Eudoxus tamen et Chrysippus, eius discipuli, scholam Pythagoream restituere, quamvis frustra, conati fuerunt.

Scholae dogmaticae successit *Peripatetica*, ab Aristotele creata. Ambae scholae *Stoicae* partes erant, et in sectas ulteriores formandas et constituendas maximam habuerunt vim et efficaciam. Sic peripatetica dogmata praesertim in schola Alexandrina insequente viguerunt. Haec in duas partes, prout medici *Herophili* aut *Erasistrati* praecepta sequebantur, divisa est.

Schola Alexandrina, ut supra vidimus, *Empiricae* originem praebuit, cuius monita inprimis a medicis Graecis serioris temporis observabantur et quae Medicinae ita dictae rationalis fundamentum fuit. Ex hac iterum et ex Alexandrina orta fuit *schola Methodica*, quae in Italia praesertim multos obtinuit sectatores.

Anno 150° A. C. N. philosophia Pythagorea ab Essenis et a Philone Iudaeo cum empirica agendi ratione coniuncta *scholae theosophicae* originem praebuit. Eius dogmata magis magisque degenerata *sectae cabbalisticae* constituendae, nebulones et magos continenti, ansam praebuerunt. Huic dein schola *Neo-platonica* successit, quae ex omnibus praecedentibus, addita iterum empiria quadam, composita erat. E medicis Graecis nonnulli eodem fere tempore *scholam dogmatico-empiricam* condiderunt, cuius dogmata serioribus *Nestorianis* pro parte etiam accepta erant.

Ab altera parte Aristotelis pneuma paulo post Christum natum amatores permultos excitavit, qui dogmata peripatetica cum luce maiore, e schola seriori Alexandrina oriunda coniungebant et spiritum quemdam aëreum morborum aut sanitatis causam accusabant. Plerique tamen eorum methodicae scholae monita praeterea secuti, *eclectici* erant atque e diversis vigentibus scholis, quod bonum et laudabile, sumebant.

Successit dein *Galenus*, nulli singulatim systemati deditus, vir magnopere laudandus et per multa saecula insequentia Medicinae praeceptor.

A medicis Graecis separandi sunt *Nestoriani*, qui undique fugati tandem Arabiam petierunt ibique scholas, doctrinae Arabicae incunabula, condiderunt. Eminuit vero in hac *Schola Arabica* pneumaticae i. e. prioris peripateticae sectae institutum, quod color, a schola pneumatica in Arabicam transiens, satis indicat.

Arabica schola in Hispanicam transiit, ibique ad Medicinam docendam et excolendam primam dedit incitationem.

Monachorum Medicina *scholae Salernicae* originem praebuit et haec iterum Italis hanc artem ulterius elaborandi amorem indidit.

Ceterae Europae regiones ab his et ab Anglis (1) inprimis artem medicam exercere et elaborare didicerunt. Successerunt sibi multae scholae priusquam scientia nostra, qualis hodie est, ad nostra pervenit tempora. Hae omnes variis indicatae sunt coloribus, qui nominibus medicorum suppositi sunt. In genere tamen scholae Hippocraticae aut Empiricae sectatores nullo notati sunt colore.

---

(1) In tabula tertia, circiter annum 1000um P. C. N. sagittulae appositae sunt. quae hanc artis medicae viam indicent. Hae tamen, nescio quo casu, inversa ratione expressae sunt, quod emendare velit lector benevolus.

